

Joachim Jungius

‘Lucretia’

Tragoedia nova seu recens
(um 1602)



Jan-Wilhelm Beck

Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg

Juni 2007

Interlocutores

Lucius Tarquinius Superbus	Rex Romanorum
Tarquinius Collatinus	sororis Regis et Egerii filius
Chorus Mulierum Romanarum	
Sextus Tarquinius	Regis filius minimus natu
Aruns Tarquinius	filius Regis seu, ut alii, frater, quod non recipio
Titus Tarquinius	filius Regis
Brutus vel Lucius Iunius Brutus	Tarquinia, sorore Regis, natus
Lucretia	uxor Collatini
Spurius Lucretius Tricipitinus	pater Lucretiae
Servus Sexti Tarquinii	
Grex	

<Actus primus>

<Tarquinius Superbus, Collatinus>

Sup.	Mene igitur incepto meo desistere Victum? nec armis posse vinci Martiis Hostes potentem urbem tenentes Ardeam? An ferreis fatis prohibeor caelitum? Cecidit verutus Volscus et Sabellica Devicta pubes effera una plus vice. Mihi ille Priscus author armis maximus, Cui laurus aeternos pep<e>rit Sabellico Titulos triumpho laudis et praeconia.	5
Col.	Licetne pauca?	
Sup.	loquere, quae velis, licet.	10
Col.	Generis tuique patris, haud laus est tua. Ipsique quae non fecimus, nostra haud voco.	
Sup.	Fortes creantur fortibus, boni bonis Magnique magnis. non ferox Iovis armiger Progenerat imbellem Veneris Chaoniam avem. Est in iuvenis atque equis virtus patrum. Hic curiae praeceps adactus per gradus Ocrisia serva satus Solisque nitidum lucidi linquens iubar, Petiit nigrantis Tartari portum miser. Hem, sceleris author ego, scelus res regia est! Romana servo regna cepi mortuo, Turnusque magni maledicus poenas luens, Efflavit oris graviter extremum halitum.	15
Col.	Iniqua numquam imperia retinentur diu.	20
Sup.	Ferrum tuetur principem.	
Col.	melius fides! Videsne longa metiente te viam Toga, ut ora vertat huc et illuc invida Euntium liberrima indignatio?	
Sup.	Ars prima regni est posse te invidiam pati. Regnare nescit, odia qui nimium timet. Immensa tutum reddidit me copia, Maiorque sum quam, cui potis Fortuna sit Nocere. rumpit flava messis horrea, Falerna Bacchus cella, Pluto arcas niger. Huc adiice et tres filios, totidem ac nurus generumque vitreae Mantium Circes genus.	30
		35

- Col. Licet superbus ambules pecunia,
 Nec plena sunt tibi fortis animi pectora,
 Fortuna opes auferre, non animum potest, 40
 Et insolens inter maritum Tantalus
 Simulque bis septem orba sedit liberos.
 Sequitur superbos ultor a tergo Deus.
- Sup. Sed de his satis! quin ocius castra petimus?
 Nam bella cum Rutulis rigida semper geram, 45
 Dum volvet altus lucida polus sydera.

<Chorus>

- Ch. Roma profecta patria,
 Vbi marino gurgiti
 Interfluis
 Thuscique et Vmbri pinguis 50
 Caeruleus arva secat Thybris
 Stringitque ripas floridas,
 Veni huc pede celeri ad Ardeam,
 Viderem ut Aeneadum agmina
 Multo repleta milite. 55
 Repens obortus interim,
 Conspicior his dum sic viris,
 Suffundit ora mi pudor
 Rubore picta purpurae,
 Clypeos aventi cernere 60
 Et castra regis ferrea,
 Equos et acres currere,
 Blanda ut voluptas cernere
 Satiaret oculos omnia. 65
 Primoque vidi regios
 Duos potantes filios
 Et tesserarum omniugis
 Collusitantes iactibus.
 Nec non potentem celeribus
 Certare cum ventis pedum 70
 Cursusque properanti fuga
 Sextum cito vidi pede
 Armis onustum currere.
 Certabat autem cum citis
 volucrisque curribus 75
 Cursu pedestri praevolans,
 Metamque ut ante attingeret
 Laudemque palmae tolleret.
 Vidi tum equas pulcherrimas

Frenisque pictas aureis
Stimulis fugam incitantibus
celerare per latos agros,
Partim arcuato sub iugo,
Partim hinc et hinc aequalibus
Glomerare flexus additas. 85
Iuxta has in armis fervido
Fertur gradu, cui nomen urbs
Clarum dedit Collatia.
Ipsumque conspexi ducem
Manu potentem ac viribus 90
Et multa vidi militum
Gerentium arma millia,
Queis se ipse rex praefecerat.
Adversus hasce barbarus
Quicumque bella copias 95
Committet, is salvus domum
Numquam revertetur suam.

<Actus secundus>

<Tarquinius Superbus, Chorus>

- Sup. Etenim diu iam sorte nequaquam pari
Frustra operimur, dum hostis erumpat ferus,
Et ociosi desidemus ad Ardeam, 100
Relicta inani ac solitaria domo,
Alii iugati uxoribus.
Nam patria Roma relictā hic commoror,
Hic milites vel ociosos detinens,
Qui me quidem urgent semper hisce vocibus: 105
'O Rex, quid hic sic commoramur aut quoad
Adversus hostes proelium
Sine fine lentis prorogabitur moris?
Fac, si quid es facturus, aut retro domum,
Vnde hae profectae, copias reducito.' 110
Longa igitur haud maneo hostium cunctamina,
Ipsosque iam armis aggrediar aut fraudibus.
- Ch. Sed Brutus huc movet gradum
citus, tibi aliquem nuntium,
Rex Tarquini, ferens novum. 115

<Brutus, Collatinus, Sextus Tarquinius>

- Bru. Vbi hic Latini ductor est exercitus?
Quisnam e ministris ibit illi nuntius,
Adesse Brutum matre Tarquinia satum
Prae foribus, ipsum convenire qui velit?
- Col. Audita me vox iammodo excivit foras. 120
Hem, quo fugis? quin dexterae dextram applicas?
- Bru. Ehem, quis hic, qui me haud sinit prehensitans?
O summe Deus, est frater hic? o Iuppiter,
Est frater hic?
- Col. Brute, intus audito tuo
Sermone celeri prodii foras pede. 125
Quibus sed, exspectate, tandem oris venis?
Cui ductus huc venisti in agmen, Ardeam
Virosque adisti armis amictos Martiis?
- Bru. Rem prorsus omnem luculenter audies,
Ex ordine autem cuncta narrabo, nisi, 130
Si quid memoriae lapsus, errantem mihi

Germanus hoc, Tarquinius hoc cupit pater,
 Qui terga crudeli mea laceravit, eheu, verbere.' 170
 Luna fuit, aspectant reconduuntque gladios
 Et veste dempta terga cernunt squalida.
 Flent, utque secum bella tueatur, precantur, Martia.
 Ille annuit, dein dexteræ et fides data est.
 Nec mora: Gabina ex urbe caesi principes, 175
 Periiitque vinci nescia armis urbs dolo.
 Vt fraude Gabii, sic vel armis Ardeae
 Vincuntur aut dolo potentis moenia.

<Sextus Tarquinius, Aruns, Titus, Collatinus>

Sex. Bello sollicitos dum tenet Ardea
 Nos pigro, patrios nec sinit ad Deos 180
 Arma referre,
 Ecquid coniugibus mutua coniuges
 Nostris cura sumus? quisque suam probet,
 Laudet quisque suam. sed mea ceteris
 Praecelletque animis atque modestia. 185
 Aru. Fingis, Sexte, mea nulla magis bona.
 Tit. Fingis tu quoque, et haec verba meae nocent.
 Col. Verbis nil opus est; tollite iurgia,
 Rixas tollite, rebus modo credite!
 Quin tollamur equis visere coniuges? 190
 Quam praestet mea Lucretia ceteris,
 Experiemur!
 Tit. Dicta probamus.
 Sex. Nobis verba placent, consilium placet;
 Frenis impediuntur volucres equi! 195

<Lucretia, Collatinus, Titus>

Luc. Quamprimum mittenda est domino
 Iam nostra facta lacerna manu;
 Nunc, nunc ancillae properate!
 Quid tamen audistis de bello?
 Namque audire potestis plura. 200
 Quantum de bello superesse
 Dicitur? improba,
 Sed tandem victa cades, Ardea,
 quae nostros cogis abesse viros,
 Vrbs improba! sint tantum reduces! 205

<Chorus>

- Ch. Huiusmodi quidem ratio mortalibus
 Recte instituta est, ut bene ac feliciter 245
 Rectrice vitam transigant sapientia.
 Est interim autem dulce non sapere admodum,
 Rursum interim homini sapere conducit magis.

<Sextus Tarquinius>

- Sex. Castra Collatinus ivit in parentis Martia,
 Cuius uxorem penes modo laus pudicitiae fuit. 250
 Namque posito ceteras vigilare vino invenimus,
 Huius ante thorum calathus et lana mollis tunc erat.
 Sedit ita, sic culta fuit haec, nevit haec sic stamina,
 Habuit hos vultus, ita iniecta iacuit collo coma,
 Sic sui de coniugis collo pependit dulce onus, 255
 Haec fuerunt verba; mores, forma, verba, color placet
 Niveus et flavi capilli et ab artibus nullis decor
 Factus, etenim vox placet, tum vita nescia fallere.
 Cepimus Gabios vel audendo, ultima ergo audebimus!
 Messuit Lethaea falce iam pater papavera, 260
 Vrbe caesis ex Gabina ducibus ac primoribus,
 Nuda principibus patri sunt tradita urbis moenia.
 Iam satis blandita credula turba verbis militum:
 'Vrbis o tutela praesens, optime o custos, ades,
 Gentis, o tutor, Gabinae fortis hostes deiice! 265
 Quis superbae bella Romae curet? aut quis Tarquini
 Militem metuat Latinum regis, implacidum genus?
 Nempe te custode rerum, Sexte, dux o patriae!
 Sexte, facere haec ausus es? iam extrema igitur audenda sunt,
 Vltima audebis! Venus namque ipsa et audaces iuvat; 270
 Adiuvans Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

<Chorus>

- <Ch.> Sed Lucretia mutuis
 Fidum pectus amoribus
 Ipsa qualem habuit, bonam
 Optari faciem vetat. 275
 Pulchri filia corporis
 Vel semper miseros habet
 Patres. rara modestiae
 Seu pudicitiae et bonae
 Est concordia formae. 280

<Actus quartus>

<Servus, Tarquinius Superbus>

- Ser. Romane Rex, ductor Latini exercitus,
Maneto iam, rege editum parente, namque appello te.
- Sup. Ehem, quis hic, qui nos vocavit nuntius?
Vt ore quam tumultuoso, vultu ut attonito vocat!
- Ser. Sum servus, hinc haud insolesco; sors enim haud sinit mea. 285
- Sup. En, iam resistimus; ergo fare, si quod eloqui velis,
Et cur oraclum bene institutum iusseris me sistere.
- Ser. Adsum tibi aliquem nuntium ferens novum.
- Sup. Num tu mihi aliam calamitatem quampiam
Affers ad hanc, quae nunc adest?
- Ser. quaenam illa, Rex, est?
- Sup. Ardea.
Sed differetur, sicuti videtur, haec narratio
mihi, praeque se profecto quiddam magnum et arduum gerit.
Proinde ne cunctere, dico, sed mihi
Expone rem, quantum potes celerrime!
- Ser. De filio tuo dolenda nuntiabo iam tibi, 295
Portentosa equidem ac simul stupenda de Bruto audies:
Vt igitur in castra rediit dominus simul cum ceteris,
Latus ense cinxit, terga pressit deinde equi.
Ego comes. aerata accipit porta dein Collatia
me atque iuvenem, iam sole vultus condere 300
Suos parante. ut hospes hostis in domum Lucretiae,
Excipitur autem comiter. parat illa rerum nescia
Epulas. dapibus ut functus est somnumque placidum tempora
Iam nocte suadebant, domo nec lumina
Erant in omni, surgit ensemque arripit 305
Intratque thalamos mox pudicae coniugis.
Simulatque pressit ut thorum, ‘ferrum viden, Lucretia?
Editus’, ait, ‘rege atque Tarquinius vocor.’
Nihil illa. verbis tum dolore, tum metu
silet retentis, haeret et vox faucibus. 310
Neque enim loqui vires habebat aut vocem,
Aut aliquid omni mentis erat in pectore;
Tremittque, stabulis ut relictis parvula
Pavet agna, cum rapace sub lupo iacet.
Namque hostis instat simul amans precioque precibusque ac minis,
Nec precibus aut precio nec ille movet minis.
‘Nil agis!’, ait. ‘falsus ero testis adulteri

Caedamque famulum; cum hoc ferere deprensa!
 Succubuit illa metu sinistrae victa famae.
 Et iam quadrigae flamma solis surgerat, 320
 Passis capillis illa sedet, ut filii
 Fecisse solet itura mater ad rogam;
 Patremque grandaevum evocat castris pio cum coniuge,
 Positaque uterque venit ignava mora.
 Videntque ut habitum, causa quae luctus siet, 325
 Quaerunt, quid aut mali, cui exequias paret.
 Diu illa reticet, ora celans vestibus
 Pudibunda. lacrumae more aquae assiduae fluunt.
 Hinc genitor, hinc coniunx timent, solantur atque lacrumas
 Orantque ut indicet, metu flentque ac pavent. 330
 Ter est loqui conata, sed ter destitit.
 Et ausa quarto, ad eos nec oculos sustulit ideo suos.
 'Haec', inquit, 'haec Sexto, vir, haec debebimus?
 Eloquar at infelix meum ipsa dedecus?'
 Veniam coactae genitor et coniunx dedit. 335
 'Quam vos datis veniam', ait, 'ipsa iam nego.'
 Nulla mora, ferro casta fixit pectora
 Ceciditque sanguinolenta patris in pedes.
 Iamque moriens, ne non honeste, respicit,
 Procumbat. haec etiam cadentis cura erat. 340
 Super, ecce, corpus damna communia gemens
 Pater et maritus decoris oblitus iacet.
 Infixa Brutus tela semianimi rapit de corpore,
 Tenensque stillantem cruore generoso
 Cultrum, minanti ore edit impavidos sonos: 345
 'En, tibi per hunc ego iuro fortem sanguinem
 castumque, per manes tuos numen mihi:
 Profuga Superbum cumque stirpe et coniuge
 Poenas daturum, ignique ferroque insequar.
 Brutus, pater virque in tuum iurant caput.' 350
 Matriona fertur in forum.
 Clamore vulgus Brutus inde convocat,
 Sexti nefanda facta Brutus enarrat.
 Ultro ducem Brutum sequuntur milites,
 Domum relinquit Tullia. 355
 Iam iam volabunt saxa, iam faces volant.
 Ob haec ego tui praemonendi gratia
 Huc praevolo.
 Sup. Quid feminas vexas canis,
 Ignavus adversum lupos? 360
 Quin huc inanes verte, si potes, minas
 Et me remorsurum pete?
 Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,

Amica vis pastoribus,
 Agam per altas aure sublata nives, 365
 Quaecumque praecedet fera.
 Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
 Aptantur enses conditi?
 Parumne campis atque Neptuno super
 Fusum est Latini sanguinis? 370
 Non ut superbas invidae nunc Ardeae
 Romanus arces ureret,
 Sed ut secundum vota Rutilorum sua
 Vrbs sua pereat dextera.
 Non hic lupis mos nec fuit leonibus 375
 Vmquam, nisi in dispar, feris.
 Furorne caecus? an rapit vis acrior?
 An culpa? responsum date!
 Tacent, et ora pallor albus inficit,
 Mentisque percussae stupent. 380
 Cave, cave, namque in malos asperrimus
 Parata tollo cornua.
 Nam si quis atro dente me petiverit,
 Inultus ipse non ero.

<Brutus>

Brut. Ingens mihi animus tollitur magis ac magis, 385
 Condidicit autem tum malis aegrescere,
 Tum prosperis gaudere modice casibus.
 Verum hinc procul concessero ac vitavero
 Ira aestuantem Thuscum et indomitum virum.
 Iam iam Superbum barbarum interimam virum 390
 Ferro prehensio, iamque persolvat mihi
 Poenas adultor perfidus!
 Romam Superbus perget, hinc nos Ardeam.

<Tarquinius Superbus, Titus, Aruns, Chorus>

Sup. At o Deorum quidquid in caelo regit
 Terras et humanum genus, 395
 Quid iste fert tumultus? et quid omnium
 vultus in unum me truces?
 Clauduntur at at, o facinus audax et malum,
 Romana portis moenia.
 Maius parabo, maius infundam tibi 400
 Fastidienti poculum.

- Quin, ubi perire iussus expiravero,
 Nocturnus occurram furor
 Petamque vultus umbra curvis unguibus,
 Quae vis Deorum et Manium, 405
 Et inquietis assidens praecordiis
 Pavore somnos auferam?
 Infestus hic vivusque mortuusque ero,
 Tibi nec umquam desinam.
 Me turba vicitim hinc et hinc saxis petens 410
 contundet, eheu, perfida.
 At rursus illius assidens praecordiis
 Pavore somnos auferam.
- Tit. O Brute, iam audes graviorque ac immania,
 Audere quae te neutiquam licet aut decet. 415
- Sup. Hei mihi, laboris sumpsit ego hoc inaniter,
 Ac spe male frustratus excidi mea.
 Perii; palam sunt facta, quae celaveram.
- Tit. Hunc proinde iam nunc inter Aeneades puta
 Astare medios atque ibi eloqui palam 420
 Peccata Sexti. ita concitatis copiis,
 Si te cita in patriam receperis fuga,
 Sequentur usque. ad hunc modum infortunia
 se nostra habent, heu miser et infelix, ut his
 Brutum per hunc perplexus involvor malis? 425
 O mater, eheu, viva permansisti, uti,
 Prognata cum sis regiis e stemmatis,
 Indigna ferres servitutis pondera?
 Iam afflicta nunc et misera, quam florens eras
 Quondam ac beata. te aliquis extinxit Deus, 430
 Felicitatis pristinae invertens vices
 Bonaque ante acta paribus exaequans malis.
- Sup. Me gnatus, eheu, perdidere et subditi.
- Ch. Eheu, miser, quam gravia perpeteris mala?
 Sed cum patraris foeda, poenas asperas 435
 Sumis. Deorum quisquis infensus tibi
 Bene vertat autem, quippe pariter omnium
 Et publicitus et singulorum proprie
 Refert malis male evenire, bonis bene.
- Aru. Porto pondera acerbi luctus. 440
 Heu, heu, quae me nunc terra potest,
 Quae maris undosi accipere aequora?
 Aut quid iam misero restat mihi,
 Cui nec apud Romanos usquam
 Locus et super infensi finitimi? 445
 Eheu, quo ferar? aut quo intendam?
 Quonam torquebo gradum? quonam?

	Huccine an illuc flectam gressum?	
	Proh! habeo neminem amicum infelix!	
	Quorsum vertar? quo ferar? heu, miser;	450
	Heu me miserum, quid vociferer?	
	Eheu, pater! heu, supra cunctas	
	Miseri genetrix gnati misera!	
	O te afflictam! proh ter miseram!	
	O male faustae genitor sortis!	455
	Quam tibi tristem rursus luctum	
	Infandumque et acerbum movit	
	Daemon aliquis!	
Sup.	Quid clamas? quid subitum apportas?	
Aru.	Heu me, heu te, heu matrem, eheu fratrem!	460
Sup.	Cur sermonum exordia mecum	
	Diro sumis ab omine, fili?	
Tit.	Eloquitor neque celato diu!	
	Paveo, misere paveo, frater!	
Aru.	Pater, ah, miseri genitor filii!	465
Sup.	Cur istud ais?	
Tit.	Quaeso, quid ingemis?	
Aru.	Rumorem adfero, frater, dirum.	
	Haud equidem ullum porto levamen	
	Aerumnae praesentis, at ingens	470
	Insuper et grave defero pondus.	
Sup.	Aderit iam iam quodcumque malum.	
	Haud sic umquam mens mea certo	
	Timuit, tremuit tacta pavore.	
Aru.	O infelix miserae sortis pater;	475
	Namque manu caesus Gabiorum	
	Ac sub humum cervice recisa	
	Obscurum demissus ad Orcum	
	Filius, eheu!	
Tit.	Eheu, tristem trahor in luctum!	480
	Eheu, frater, quam mala nobis	
	Immensa refers!	
	Sed te miserum luctu omnigeno	
	Defleo, mater; nam mea fata	
	Sortemque gravem non lamentor,	485
	Cum mihi casus sit et aptandus	
	cedere vita.	

<Chorus>

Ch. Iam gazis Rutilorum ferus invidet,
Iam acrem militiam Tarquinius parat

Vrbis principibus divitis Ardeae. 490
Hostis, quid dubitas dedere te? mori,
Hostis, quid dubitas? quid dubitas, fugae
Quin des terga citus? quin fugias citus?
Heu, heu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta movet funera iam tuae 495
Genti? iam galeam, iam volucres ferox
Currus Tarquinius, iam rabiem parat.
Non, dives tam opibus, respicis, Ardea,
Gentis Tarquinius exitum tuae?

<Tricipitinus, Lucretia, Collatinus, Brutus, Chorus>

- Tri. Salve! quod autem huc iusseris me accersier,
Adsum, tuis, en, obsecutus iussibus.
- Luc. Namque ipsa cupio longa iam post tempora 540
Admota, genitor, pectus amplecti tuum.
Etenim tuis sitio frui conspectibus,
Id pace si modo mihi liceat tua.
- Tri. Age, gnata, fruire, quando tete, filia
Vna, mihi iam nullus est amantior. 545
- Luc. Te, mi pater, laetaque lubensque conspikor
Post longa secli spacia non visum mihi.
- Tri. Ergo supercilium remitte nubilum
Meaque frontem experge causa, filia.
- Col. Quae causa luctus, aut cui exequias paras? 550
Quid obtices nunc, uxor, ac silentio
Manantibus genae rigantur lacrumis?
Quid hic habitus aut quo malo icta es? quomodo?
Satin vales?
- Luc. minime.
- Col. quid hoc?
- Luc. facta sileam?
Eloquar an infelix meum ipsa dedecus? 555
Peccata Tarquinio quoque haec debebimus!
- Ch. Humi iacentem scelera non intrans casam.
- Luc. Aliena, vir, tuo in thoro vestigia.
- Ch. Lis magna cum forma pudicitiae est bona.
- Luc. Copulate dextram, adultero impune haud fore. 560
- Tri. Veniam coacto, gnata, peccato damus.
- et Col. (simul) Veniam coactis, uxor, o factis damus.
- Luc. Quam vos datis veniam, ipsa nego. mors, testis es.
- Pater Heu, gnata, causa sat mihi est idonea,
et Vir (simul) Heu, misera, <causa sat mihi est idonea,> 565
Cur debeam dolore iam excruciarier.
- Bru. Quid hoc? quid hoc? haud vos sinam
Stillantibus vexare lacrumis genas!
En, tibi per hunc ego iuro fortem sanguinem
Castumque, per manes tuos numen mihi, 570
Profuga Superbum cumque stirpe et coniuge
Poenas daturum, ignique ferroque insequare.
Suprema Tarquini haec dies regnis erit.
Sequimini! at vos, hospitae mihi feminae,
Silentio negocium celabitis. 575

<Chorus>

Ch. Felices, quibus obtigit
Sors nec summa nec infima,
Sed sane modica, et quibus
Castos annuit aurea
Nancisci thalamos Venus 580
Tranquillaque perenniter
Consuetudine perfrui,
Quorum pectora mutuis
Flagrant incita flammulis.
Sit modesta mihi, precor, 585
Formae gratia. nobilis
<...>

<Actus quintus>

<Tarquinius Superbus, Brutus, Grex>

Sup.	Vbi quis Deus aut daemon praesens Ferat auxilium? Eheu, saeva ferentes fata, Eheu, cives, eheu, Brute, Tu, iuvenum confidentissime, Eheu, Gabii, Extinxistis ne, extinxistis! Nec mihi posthac Grata est supero in lumine vita. Periit regnum, periit filius!	590 595
Bru.	Nunc perfidum, Quirites, Nunc agite, regem caedite, Nunc miles adsit omnis!	
Sup.	Hem, saxa, ferrum, perfide.	600
Sup.	Eheu, ohe, ferocis Gens Martialis Thusciae Hasta valens equisque Voco, voco, rursus voco, Venite, adeste cursu Omnes rogati per Deos. Audit aliquis vocantem? An nemo nobis feret opem?	605
Sup.	Quid, stulte, clamas? stulte, Quid irritas fundis preces?	610
Sup.	Quae vos morae retardant? Me perdidere subditi, Me perdidere cives. Acerba, acerba pertuli; Heu, dira nostra clades! Quo vertor aut quorsum feror? Vtrumne subvolabo Sublimem ad aetheris domum, Vbi minax Orion, Vbi Sirius oculis suis Radios iacit micantes Signisque collucentibus, An Tartari nigrantis Tristem petam portum miser?	615 620

<Chorus>

- Ch. Tradidit Bruto misere fugatus 625
Regna rex Roma, procul hinc Superbus
Thusciam visit patriam, Latinis
Exul ab oris.
- Vltor, en, castae vitii puellae
Brutus illati, intrepidus Quirites 630
convocat. Sextus Gabiis peremptus,
Regia proles,
- Missus obscurum moriens ad Orcum,
Deget infelix et adulter illic
Lucis et vitae spoliatus inter 635
Lumine cassos.
- Tullia hinc aedes fugiens reliquit.
Haec dies regni fuerit suprema,
stulta namque audax animo fefellit
Nomina Brutus. 640
- Tarquini iam iam scelerata regis,
Brute, profugit fugiens propago,
Consulis iam iam cape laetus ergo
Annua iura.

Finis

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegen die in der Staats- und Universitätsbibliothek Hamburg bewahrte Handschrift (um 1602, NL J. Jungius: Pe 4, Bl.44ff., 29 S.) und deren Erstausgabe durch Hübner (1995); für die zeitweise Überlassung eines Microfiches bin ich der Hamburger Handschriftenabteilung sehr dankbar.

Das Stück ist ohne Akt- oder Szeneneinteilung überliefert und wirkt in seiner Anlage nicht unproblematisch: 320ff. wird im Botenbericht des Sklaven das Ende Lucretias und Brutus' Aufruf zur Vertreibung der Tarquinier scheinbar in einer Art zeitlichem Vorgriff in großer Ausführlichkeit beschrieben, obwohl dies 500ff. bzw. 538ff. in direkter Darstellung folgt. Diese Art der dramatischen Konzeption ist überaus merkwürdig und mag fast als zu modernes, zu gewagtes Mittel der Dramatisierung gelten, so als ob dasselbe Geschehen zweimal nacheinander aus unterschiedlicher Perspektive geschildert werden sollte. Wahrscheinlich ist es jedoch bei Junge lediglich Zeichen einer unfertigen, nicht wirklich durchdachten Konzeption, die ihn zunächst in narrativer Umsetzung des Botenberichts die antiken Vorlagen hat zu weit ausschreiben lassen, ohne dabei die Konsequenzen für die weitere Gestaltung seines Dramas zu bedenken. In ihrer erhaltenen Form gibt sich die Tragödie Junges somit deutlich als ein nicht wirklich durchgestaltetes Jugendwerk, das seinen Reiz eher aus der findigen Anwendung antiker Originalpartien gewinnen sollte, weniger aber als eine gezielt dramatische und diesbezüglich auch geplante, strukturierte Umsetzung der bedeutenden Episode aus römischer Frühzeit.

Immerhin zeigt die Tatsache, dass die Tragödie mit einem Chorlied endet, dass der Chor durchaus in gliedernder Funktion verwendet wurde und dass dies vielleicht auch für die Anlage des Stückes insgesamt zu erwarten ist. Versuchsweise ist folglich hier eine Einteilung in die üblichen, in ihrer Länge unterschiedlich gewichteten fünf Akte angedeutet, die das Stück in die tatsächlich vorhandenen, jeweils mit einem mehr oder weniger kurzen Chorlied abgeschlossenen Handlungsschritte gliedert (vgl. auch die Akteinteilung der zeitlich parallel gestalteten Tragödie des Samuel Junius; die 'Lucretia' des Friedrich Balduin hat einen späteren Ansatz und damit eine zeitlich andere Struktur). In überlieferter Folge ergeben sich:

- 1.) Die Situation vor Ardea als Exposition; zentrale Gestalt ist Tarquinius Superbus,
- 2.) das Treiben der *iuvenes regii* vor Ardea und die Begegnung mit Lucretia in Collatia, die Mission des Brutus als beinahe umschließender Rahmen,
- 3.) der doppelte Botenbericht an Tarquinius Superbus (die Tat und der Tod des Sextus),
- 4.) die Reaktionen der Lucretia und des Sextus, Lucretias Selbstmord,
- 5.) die Vertreibung des Tarquinius Superbus.

(Anders Hübner S.36 Anm.17 zum Abschluss der Exposition mit dem 2. Chorlied 159-178 und dem „eigentlichen Beginn der dramatischen Handlung“ 179ff.; S.13 spricht sie von einer „(aufführungstechnisch bedenklichen) Neuaufteilung des Inhalts in 'Akte' und 'Szenen'“, gibt jedoch keine eigene Akt-Einteilung.)

Problematisch ist freilich nicht nur die zweifache Schilderung von Lucretias Ende, die unmittelbar nach dem Bericht von ihrem Tod als lebend, handelnd vorgeführt ist. Vergleichbar problematisch ist die Art des Umgangs mit dem Schicksal des Sextus Tarquinius, dessen Tod durch die Gabier bereits 475ff. berichtet wird (vom Chor aufgenommen 632f.), obwohl Junge auch ihn noch 525 sprechen, sogar triumphieren lässt, um einen reizvollen Kontrast zur gebrochenen Lucretia zu schaffen. Um dem um metrische Vielfalt sichtlich bemühten, im inhaltlichen Detail erkennbar engagierten Dichter nun nicht im Großen gänzlich konzeptionelle Unfähigkeit bescheinigen zu müssen (vgl. auch Hübner S.11f. „ungeschickt auf die einzelnen 'Akte' verteilt [...]. Eine Aufführung dürfte somit nicht das erste Ziel [...] gewesen sein“, S.38 Anm.24 „nur [...] eine Schulübung oder [...] ein Lesedrama, nicht aber [...] ein Theaterstück, auf dessen Bühnentauglichkeit Wert gelegt wurde“), ließe sich gegen die überlieferte Textfolge ein befriedigender anderer Ablauf des folglich unfertigen Dramas postulieren, der vom Dichter erst nach der Niederschrift des angenommenen dritten Aktes entwickelt, von ihm selbst aber nicht mehr in seinem Manuskript markiert bzw. ausgearbeitet worden ist. Denn bei einer Vertauschung des hier angenommenen dritten (281-499) und vierten Aktes (500-587) bleibt lediglich eine unschöne sprachlich-inhaltliche Dublette bei den Worten des Brutus zu beklagen (346-349, 570-573; 393 *hinc nos Ardeam* nun korrekt: Brutus in Collatia, in überlieferter Folge seit 116 bereits in Ardea) und eine etwas zu große Ausführlichkeit im nunmehr nachgetragenen, wiederholenden und zugleich weitere Details ergänzenden Bericht. Die innere Logik des Dramas aber bleibt gewahrt und erhält zusätzlich gegen Ende eine weitere Steigerung noch über den Tod Lucretias hinaus. Zu berücksichtigen ist schließlich, dass Junge jeweils zu Beginn und auch am Ende in seiner Konzeption deutliches Interesse an Tarquinius Superbus und dessen Schicksal erkennen lässt, weit mehr als dies etwa bei Junius der Fall ist. So ist mit dem in umgekehrter Folge zu postulierenden vorletzten Akt nach dem doppelten Botenbericht das Ende des Stückes weitaus besser vorbereitet,

nach dem Tarquinius mit einem sogar doppeltem Verlust - Verlust der Königsherrschaft wie Verlust des Sohnes - bestraft wird, wie der Chor abschließend feststellt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht; im folgenden notiert sind allerdings nur die Abweichungen von Hübners Bearbeitung (für ihre Eingriffe und eine Beschreibung der Handschrift vgl. dort S.14-21). So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie 114 *nuntium* statt *nuncium*, 156 *lacrumas* statt *lachrymas*, 234 *obsecutus* statt *obsequutus*, 435 *cum* statt *quum*, 516 *vitio* statt *vicio*, 575 *negocium* statt *negotium* (vgl. 221, 223 und mehrfach *oci-*; dagegen mehrheitlich *nunt-*, *vit-*). Groß geschrieben wurde: *Deus* (180, 589, 608), *Rex* (im Darstellerverzeichnis, groß belassen nur in Anreden). Klein geschrieben wurde im Darstellerverzeichnis *sororis*, *filius*, *uxor*, *pater*; zudem wurde dort *Spurius* statt *Sp.* gesetzt, 538ff. *Tri.* statt *Lucretius*. Vor den einzelnen Auftritten wurden die Darsteller jeweils ergänzt, mit Hübner 272ff. dem Chor zugewiesen.

Die auf *Col.*, *Luc.*, *Col.* und wieder *Luc.* verteilten Worte 554 bilden gegen Hübner gemeinsam einen iambischen Trimeter, so dass die Verszählung gegenüber ihrer Ausgabe von dort an um jeweils einen Vers verschoben ist.

- 8 *peperit* Hübner statt *peprit*
- 17 *hic* Hübner statt *his*
- 22 *mortuo* statt *mortua*
- 110 *hae* Hübner statt *haec*
- 130 *nisi* hs. verbessert aus *tibi*
- 137 *et* gestrichen
- 158 hs. verbessert aus *fallacibus oculis extrusisti*
- 191 *praestet* statt *praestat*, vgl. Liv.1,57,7
- 208 *necopinantem* statt *nec opinantem*
- 221 *destinent* Hübner statt *destinnt*
- 284 *et ... et* Hübner statt *ut ... ut*
- 297 *dominus* hs. verbessert aus *Sextus*
- 298 *terga* hs. verbessert aus *terga dein*
- 384 *ipse* Hübner statt *ipsi*
- 394 zu erwarten *quisquis*
- 465 *genitor* hs. verbessert aus *genetrix*
- 526 *viro* hs. verbessert aus *marito*
- v563 expungiert *Copulate dextram, adultera impune haud fore*
- 564 *heu* statt *hei*
- 565 <*causa ... idonea*> Hübner statt hs. *etc.*
- 580 *nancisci* Hübner statt *nancisci*
- n586 < ... > Hübner
- 593 *extinxistis* Hübner statt *extinxinxistis*

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 90 *viribus*, 136, 165, 171 *gladios*, 206, 305, 388

'Komma' gestrichen nach: 33 *sum*, 64 *oclos*, 225 *volo*, 451 *heu*

'Komma' ergänzt: 33, 173 *tueatur*, 173 *precantur*, 191, 225 *atque*, 234, 234, 284, 286 *en*, 293 *cunctere*, 311, 341, 341, 346, 365, 404, 414 *immania*, 450, 539 *tuis*, 539 *en*, 563 *mors*, 569, 585 *mihi*, 629, 629

'Komma' statt 'Klammer': 404f., 405 sowie im Darstellerverzeichnis um *ut alii*

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 312, 322

'Strichpunkt' statt 'Komma': 168, 188, 194, 197, 209, 213, 270, 285, 318, 418, 450, 475, 484, 614

'Ausrufezeichen' statt 'Fragezeichen': 284